



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici

Leoni, Giovanni Francesco

Coloniae Agrippinae, 1682

80 Theodosii Imperatoris humilitas in ecclesiis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10316

Vniuersit. numer. 9. cum alijs supra allegatis.

Præmissa etiam procedunt, ubicunque parochiales ecclesiæ nullos redditus, vel adeo tenues habent, ut parochi certa annua, vel menstrua pecuniæ summa à parochianis conducantur, quia collectæ pari modo per solidum, & libram juxta

76 † cuiusque patrimonij, & illius allibrationis quantitatem, sunt imponendæ. Cum enim eadem ratio militet, idè jus statui debet. *l. illud ff. ad l. Aquil. Crav. cons. 183. n. 3.*

77 Maxima † autem oriretur injustitia, si in dictis casibus per capita hominum, vel capita domorum collectæ essent persolvendæ, quia ut plurimum pauperes nihil possidentes, & ex eorum labore, & industria tantum viventes, sunt prole onusti, ita quòd si per capita hominum, pauperum, qui numero multi sunt, in majori pecuniarum summa concurrere cogentur, & gravius onus sustinerent, quam ditiores: si

78 verò per capita domorum, tantum miserabiles persolverent, quantum divites, & opulenti; & tamen pauperes, quorum nota est paupertas, ut hi, qui dietim laborant pro victu quærendo, nihil conferre debent, ut inquit bald. *in l. etiã n. 28. C. exerc. rei jud.* Inter pauperes enim, & divites etiam rusticos, maxima habetur differentia. Divites enim sunt de Consilio, administrant bona communia, habent inter se officia, prærogativas, honorantias; ditiores baldachinum ferunt, habent particulares sepulturas, & sedilia in decentioribus locis ecclesiæ: & pauperes verò stant in locis à choro remotioribus, sepeliuntur in cœmeterio extra ecclesiam, & non participant de honoribus, quibus divites gaudent. In distributione candelarum quæ singulis annis fit in solemnitate festivitatis Purificationis

B. Mariæ, divitibus majores distribuuntur, & ideò, qui honoribus, & commoditatibus præcellunt, congruum est, ut majori gravamine onerentur, argum. text. *in l. secundum naturam, ff. de regul. juris, & cap. qui sentit, eod. tit. in 6.*

79 Magnates verò † ac locorum primates, quòd cæteris potestate præminent, ac dignitate præfulgent, eò in divitiarum operum sumptibus ad pauperum subiectorum levamen largiores, ac munificentiores esse debent, illi enim inter cætera, variis gaudet honoribus, à subditis tanquam Reipublicæ columina venerantur, ad eorum nutum populus univèrsus obtemperat. Et sicut etiam ad ipsorum habitationem decentiores ac honoratiores civitatis ædes assignantur, ita & in templis, & ecclesijs, ubi ad divina peragenda convenitur, supremas in populo sedes non ipsi solum sed & tota illorum familia obtinet. † At hic haud prætermittam, quòd alicubi non satis laude dignum fieri solet. Ubi locorum domini, & qui nobilitate, aut magistratus honore præcellunt sedes sibi in ipso Ecclesiæ choro habere prætendunt, easque nulla loci, qui Dei sacerdotibus rem divinam facientibus tantum dicatus est, ratione habita, ibi constituere non dubitant, antiquorum Imperatorum vestigia, minimè, ut æquum esset, æmulantes. Theodosius enim (ut alios memorandæ pietatis, ac sanctitatis taceam) Junior Imperator templum ingressus sacra altaria manerum tantum offerendorum gratia accedebat, quibus oblati, ad extimum communeque atrium mox se recipiebat, ut testat. Baron. *in lib. ann. Eccles. tom. 5. ann. 413. pag. 158. in fin.*

Finis Secundæ Partis.